

73. *Dies isti computantur de momento in momentum.* — Econtra Glossa hujus regulæ affirmat etiam diem consensus includi in numero viginti dierum : cui Mandosius assentitur, quæst. 18, num. 3. Atque hanc sententiam esse utiliore resignanti, ut citius finiatur tempus viginti dierum pro valore suæ resignationis requisitum, tenet Azorius, cit. cap. xxviii, q. 7. Idem tradit Joan. de Selva, cit. tract. de Beneficio, part. III, cap. xlvi, n. 11, ubi inquit, quod dicta regula sit intelligenda de viginti diebus naturalibus, scilicet viginti quatuor horarum, arg. l. *More Romano*, ff. de *Feriis* : et quod in præsentī casu dies isti computentur de momento in momentum. Atque juxta hanc sententiam valida erit resignatio, qua quis resignavit beneficium die primo januarii hora septima matutina, si primum moriatur die vigesimo primo januarii hora octava matutina : quia revera intercessissent viginti dies naturales, et de momento in momentum completi. Secus foret dicendum juxta priorem sententiam, quia si excludatur dies præstiti consensus, mors incideret in ipsum diem vigesimum, sicque resignans mori intelligeretur infra viginti dies; nam dictio *Infra* includit sua extrema, et excludit ea, quæ sunt extra, arg. l. 1, § 1, ff. de *Offic. præfecti Urbis*. Barbosa, de *Dictionibus usu freq.*, dict. 161, n. 3.

74. *Dictio A quando stet exclusive, vel inclusive?* — Nec obstat ratio oppositæ sententiæ : quia, licet dictio A stet exclusive, quando alioquin dispositio legis, sive statuti, redderetur odiosa, et vergeret in cuiuspiam præjudicium, seu pœnam; nihilominus dictio A stat inclusive, puta respectu diei, quando exinde dispositio redditur favorabilis, et tendere incipit in alicujus commodum, etsi adhuc stet exclusive respectu momenti. Card. Tuschus, litt. A, concl. 1, n. 26; Barbosa, ubi supra, diction., 1, n. 3, cum aliis. Sic autem accidit in proposito : nam, si computetur dies consensus a momento, quo hic per resignantem præstitus fuit, in numero viginti dierum, salvatur valor resignationis in casu jam posito; simulque restringitur facta per regulas Cancellariæ correctio juris communis, quo quisque libere resignare potest : ac proinde in sæpe dicta regula Cancellariæ, *ly a die* debet stare inclusive respectu diei, et solum exclusive respectu momenti, quo per resignantem præstitus est consensus.

## § VI.

## DE RENUNTIATIONE PURA, ET CONDITIONALI.

75. *Renuntiatio beneficiorum cum primis debet esse pura ab omni pecunia.* — Quæritur I. Qualiter renuntiatio beneficii ecclesiastici debeat esse pura? Resp. I. Renuntiatio beneficiorum cum primis debet esse pura ab omni pecunia, omnique pactione de dando aliquo temporali intuitu ejus : aliter est simoniaca. Ita communis omnium; et patet ex c. *Super hoc*, 6, h. t., et c. *Matthæus*, 23, de *Simonia*, et Extravag., *Cum detestabile*, eod. inter communes, cum similibus.

76. *Si fiat cum pacto, ut resignatarius solvat expensas olim in beneficii assecutione factas, est simoniaca.* — Hinc renuntiatio facta cum pacto, ut resignatarius solvat expensas factas olim a resignante in assecutione illius beneficii, est simoniaca. Flamin. Parisius, lib. IV, de *Resignat. beneficiorum*, quæst. 5, n. 1, asserens esse communem, quam firmavit Rota, die 19 octob. 1553, in una cononicatus sancti Andreæ coram Puteo; Suarez, de *Simonia*, cap. xxxv, n. 24; Zoesius, tit. de *Simonia*, n. 67; Diana, part. X, tract. XIII, res. 1; Lessius, lib. II, de *Justit. et jur.*, cap. xxxv, dubit. 22, n. 94, et alii.

77. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod resignans non petat, nisi se servare indemnem, beneficium autem gratis resignet alteri. Non obstat, inquam; tum quia in beneficiis ecclesiasticis omnis pactio, omnisque conventio debet omnino cessare, c. *Super eo*, 7, de *Transact.*, cap. ult., de *Pactis*, cum similibus; tum quia hæc ipsa responsio reprobat, can. *Si quis objecerit*, 1, q. 3, addita illa ratione : « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alteram provenit, neutrum inventum derelinquit. » Accedit, quod talis resignans interveniente pacto petat aliquid, et quidem temporale, quod de jure non inest resignationi.

78. *Pactum, ut resignatarius solvat omnes expensas in admissione resignationis, ac expeditione litterarum, est simoniaca.* — Insuper pactum illud, quod resignatarius solvat omnes expensas in admissione renuntiationis, atque expeditione litterarum desuper conficiendarum, ab utraque cæteris faciendas, simoniaca est. Ratio est, quæ supra, ac tenet Flamin. Parisius, cit. quæst. 5, n. 9; Garcias, part. X, de *Beneficiis*, cap. III, n. 148; Sua-

rez, de *Religione*, tract. III, lib. IV, cap. xxxiv, n. 19. Qui tamen recte hoc limitant, nisi talis conventio Pontifici declaretur, et ipse consentiat; siquidem ejusmodi simonia foret dumtaxat ecclesiastica, quam Papa sua auctoritate potest dispellere, ac purgare.

79. *Sicut et pactum, involvens simoniam confidentialem.* — Similiter illicitum est, ac simoniacum, cuiuspiam beneficium procurare, eligendo, præsentando, resignando, aut alia ratione, cum certa confidentia, seu pacto inito, ut is, qui beneficium accepturus est, illud ipsum sibi procuranti, vel alteri, puta nepoti suo, cum fructibus, vel aliqua eorum portione, suo tempore cedat. Hæc enim est ipsissima « Simonia confidentialis, » contra quam Pius IV edidit severissimam bullam, quæ incipit, *Romanum Pontificem* (ac refertur, tom. II *Bullarii Romani*, constitut. 85 dicti Pontificis) in qua sub gravissimis pœnis ipsam prohibuit; eamque prohibitionem innovavit beatus Pius V, in sua constitutione 85, quæ incipit, *Intolerabilis*.

80. *Renuntiatio beneficiorum etiam debet esse pura ab omni pacto, conditione, ac modo.* — Resp. II. Renuntiatio beneficiorum debet etiam esse pura ab omni pacto, conditione ac modo, privata partium auctoritate adjecto : alias censetur simoniaca, et nulla. Ita desumitur ex cap. ult. de *Pactis*, et c. *Quæsitum*, 5, de *Rerum permut.*, cum concordantiis; ac tenet Glossa, in c. *Cum inter R*, 16, §. *Ex consensu, de Election.*, ubi inquit, quod qui renuntiat spirituali juri, sive beneficio, pure et sine aliquo pacto debet renuntiare; alias simoniacum esset : quia non habet ibi locum renuntiatio sub modo, vel sub conditione. Hæc Glossa. Idem docet Abbas, in c. *Super eo*, n. 1, de *Transaction.*, ubi Pontifex, juncto cap. ult. de *Pactis*, expresse dicit, « quod in spiritualibus omnis pactio, omnisque conventio debeat omnino cessare. » Garcias, part. III, de *Beneficiis*, cap. III, n. 145; Layman, lib. IV, tract. X, cap. ult., § 5, n. 57, allegans communem.

81. *Privata partium auctoritate facto, alias secus.* — Additur notanter, « privata partium auctoritate. » Nam accedente auctoritate legitimi superioris, ac præsertim Summi Pontificis, posse justis de causis quandoque in renuntiatione beneficiorum, præcipue ex causa permutationis facta, secus accidere : illico magis declarabitur in sequentibus quæstionibus. Unde

82. *Renuntiatio beneficiorum ex causa per-*

*mutationis, an sit licita? Proponitur ratio dubitandi.* — Quæritur II. Utrum renuntiatio beneficiorum ex causa permutationis licite fiat? Ratio dubitandi desumitur tum ex Glossa n. 80, relata : tum ex juribus ibidem citatis, quibus probatur, quod renuntiatio beneficiorum debeat fieri omnino pure, et sine ulla pactione, modo et conditione : atqui in permutatione beneficiorum intervenit aliqua pactio, seu conditio, videlicet de dando suo, pro beneficio alterius; ergo ea non videtur licita. Verum pro exacta hujus quæstionis resolutione oportet uti competenti distinctione. Unde

83. *Ea est illicita, et simoniaca, si fiat privata permutantium auctoritate.* — Resp. Quamvis illicita sit, quin et accedente pactione simoniaca, permutatio beneficiorum ecclesiasticorum, si privata auctoritate fiat; atque insuper beneficia sua perdant, qui eadem permulant propria auctoritate : nihilominus licita est resignatio beneficiorum causa permutationis inter personas ecclesiasticas idoneas, auctoritate tamen legitimi superioris interveniente facta. Ita certa, et communis; patentque singula ex diversis textibus juris.

84. *Ea est illicita, et simoniaca, si fiat privata permutantium auctoritate.* — Et quidem prima pars, asserens esse illicitam atque simoniacam permutationem beneficiorum, si fiat auctoritate privata, patet partim ex c. *Majoribus*, 8, de *Præbend.*, ibi : « Divisionem præbendarum, aut dignitatum permutationem fieri prohibemus. » Intellige cum Glossa, ibidem, « sine auctoritate superioris : » nam superior, si expedire viderit, hoc poterit facere, ut dicitur, n. 88 et 89; partim, ex c. *Quæsitum*, 5, de *Rerum permutat.*, ibi : « Generaliter teneas, quod commutationes præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritualibus, labem semper continet simoniæ. » Quamvis hæc simonia, quæ intervenit in dicta permutatione beneficiorum, non sit juris divini (quia non datur temporale pro spirituali, sed unum spirituale, puta beneficium, pro alio), sed simonia juris dumtaxat ecclesiastici, juxta Glossam, c. *Ex parte*, 12, §. *Dimittere, de Offic. delegat.*

85. *Et sic permutantes perdunt sua beneficia.* — Altera vero pars, nempe quod perdant sua beneficia, qui ea propria auctoritate permulant, habetur clare, in c. *Cum olim, de Rerum permutat.*, ubi idcirco unus eorum, qui ad invicem propria auctoritate sua beneficia



commutarunt, præpositura, alter vero archidiaconatu, fuit privatus. Unde in simili episcopus, qui propria auctoritate de sua Ecclesia se transfert ad aliam, carebit utraque, can. *Si quis episcopus*, 7, q. 1, et c. *Quanto*, 3, de *Translat. episc.* Ratio horum est: tum quia beneficium ecclesiasticum absque institutione canonica obtineri non potest, juxta cap. 1, de *Reg. jur.*, in 6, cum similibus: at qui talis institutio canonica non intervenit in translatione, vel permutatione beneficiorum, propria auctoritate facta; tum quia tales propria auctoritate permutantes, notantur de vitio ambitionis, et ingestionis, dum unus sese ingerit beneficio alieno, c. *Per nostras*, 26, de *Jure patronat.*, sicque veluti ambitiosi, merito debent repelli, can. *Si is qui*, 1, q. 6, et can. *In scripturis*, 8, q. 1.

86. *Quatenus eisdem sunt privandi per sententiam.* — Cæterum illi, qui sua beneficia ad invicem propria auctoritate permutant, in tantum ea perdunt, quatenus sunt privandi eisdem per sententiam; ut in cit. c. *Cum olim*, de *Rerum permut.* Et quamvis Garcias, part. XII, de *Beneficiis*, cap. IV, n. 59; Barbosa, lib. III, *Jur. eccles. univers.*, cap. XV, num. 175, et plures alii velint, quod hodie tales ipso jure sint privati suis beneficiis, simulque excommunicati, juxta Extravag., *Cum detestabile*, de *Simonia*, inter communes; nihilominus oppositam sententiam esse probabilem, censet Lessius, lib. II, de *Just. et jur.*, cap. XXXV, n. 141, citans alios: nam dicta Extravagans, in qua dictæ pœnæ ipso jure statuuntur contra omnes eos, « qui quomodo libet dando, vel recipiendo simoniam commiserint » (ut loquitur textus), est intelligenda de simonia proprie dicta, per quam videlicet datur temporale pro spirituali, qualis hic non intervenit: Idque ulterius ex eo suadetur: quia noti juris est, quod pœnæ restringendæ sint, non extendendæ, juxta reg. 49 juris in 6, et l. *Interpretatione*, ff. de *Pœnis*, ibi: « Interpretatione legum pœnæ molliendæ sunt potius, quam exasperandæ. »

87. *Si dicta permutatio fiat auctoritate superioris, tunc ipsa est licita.* — Ulîma tandem pars conclusionis, videlicet quod licita sit renuntiatio beneficiorum ex causa permutationis, si fiat ex justa causa, et auctoritate legitimi superioris, constat ex cit. c. *Quæsitum*, et cap. un. de *Rerum permutat.*, in 6, et amplius ex Clem. un. eod., ubi insuper decernitur, quod in tali casu non possint beneficia aliis, quam permutare volentibus, conferri.

88. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Nec obstat Glossa, num. 80 et 82, relata. Nam ea loquitur de tali pactione, qua datur temporale pro spirituali: secus est, si accedente præsertim auctoritate superioris, detur spirituale pro spirituali, v. g. unum beneficium ecclesiasticum pro altero; prout ipsamet Glossa, in c. *Super eo*, §. *Super re sacra*, de *Transactionib.*, sese declarat.

89. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Ad textus juris, cit. n. 80, allegatos dicitur, inde solum haberi, quod imprimis in spiritualibus illicita, atque simoniaca sit omnis pactio, per quam promittitur, sive datur temporale pro spirituali, ut proxime dictum. Deinde, quod etiam sit illicitum, imo et simoniacum, et simonia saltem juris ecclesiastici, permutare beneficia propria auctoritate: non vero, quando ea resignantur in manus superioris causa permutationis, si, quatenus ea approbabitur a superiore. Tunc enim hoc totum salvat, vitiumque simoniæ abolet auctoritas superioris, sive ordinarii loci, utpote qui quoad permutationem præbendarum (quæ per Alexandrum III. in concilio Turonensi, cit. c. *Majoribus*, 8, de *Præbend.* relato, prohibebatur) potestas dispensandi, talemque præbendarum permutationem justis de causis faciendi, concessa fuit in sæpe cit. c. *Quæsitum*, de *Rerum permutat.* et cap. un. eod. in 6, et Clem. un. eod. ibi: *Ne concessione juris*, etc. ac notat Hostiensis in *Summa*, tit. de *Rerum permutat.* n. 3.

90. *Renuntiatio beneficiorum ex causa permutationis, qualiter sit instituenda.* — Quæritur II. Qua ratione renuntiatio beneficiorum ex causa permutationis sit instituenda? Resp. I. Forma, et modus hac ratione permutandi beneficia est, ut ea clerici resignent in manus ordinarii loci, expresse tamen declarando, quod id faciant causa permutationis; dummodo tamen prius accesserit consensus eorum, qui jus conferendi, eligendi, vel præsentandi habent. Quo facto arbitrari debet ordinarius, num admittenda sit resignatio talis, nec ne: et si admittendam censuerit, nulli alteri, sed præcise hisce clericis, causa permutationis resignantibus, beneficia illa conferre poterit, ac debet; adeo ut collatio aliis facta, non teneat. Patet hoc ex cit. Clem. un. de *Rerum permutat.* per quam, juxta Glossam ibid. §. *Ne concessione*, ponitur jus novum, et æquissimum; atque determinatur c. *Inter cetera*, 17, de *Præbend.* ubi collatio alteri facta, quam permutanti, censebatur valida, quam-

vis Papa postmodum ex officio restituerit permutantem, prout notat Glossa, ibid. §. *Resignari*, et Rebuffus in *Praxi*, benef. tit. de *Permutatione*, n. 1.

91. *Clerici permutare volentes debent sua beneficia resignare in manus ordinarii loci.* — Dicitur primo, « ea clerici resignent in manus ordinarii loci: » hoc est, illius, qui in tali loco habet jurisdictionem episcopalem, vel quasi episcopalem, ita ut valeat admittere resignationem beneficiorum. Barbosa lib. III, *Jur. ecclesiast. univ.* cap. XV, n. 175, et 176. Et coram tali suo ordinario debent ambo clerici, permutare volentes, sua beneficia resignare, cum expressione, quod hoc faciant ex causa permutationis: altero enim recusante non fiet permutatio, cap. un. de *Rerum permutat.* in 6, et notat Barbosa, loc. cit. n. 171. Quinimo si permutatio beneficiorum completa est ex una parte, et alter nolit vicissim suam præbendam resignare, restituitur prior pars ad suum beneficium, c. *Cum universorum*, eod.

92. *Et quid, si beneficia sint diversarum diocesium?* — Quod si beneficia, quæ clerici permutare volunt, sint diversarum diocesium, requiritur, ut quilibet suum beneficium resignet in manus proprii episcopi, ac postmodum fiat eorum permutatio auctoritate utriusque ordinarii, vel alter horum alteri committat. Glossa cap. un. §. *Collationem*, h. t. in 6, Barbosa, cit. lib. III, *Jur. eccles. univ.* cap. XV, n. 174; Garcias, part. II, cap. IV, n. 65, et 66, ac alii.

93. *Quorum consensus ad permutationem illam accedere debeat.* — Dicitur secundo, « dummodo tamen prius accesserit consensus eorum, qui jus conferendi, eligendi, vel præsentandi habent. » Nam horum interest fieri permutationem talium beneficiorum; ac proinde ad resignationem ex causa permutationis faciendam, eorum quoque consensus accedere debet, haud obstante, quod episcopus totum expedire debeat. Glossa, in cap. un. §. *Collationem*, h. t. in 6, estque dictum supra n. 61.

94. *Requiritur justa causa, per ordinarium adjudicanda.* — Dicitur ulterius, « quo facto arbitrari debet ordinarius, » etc. Siquidem ad resignationem ex causa permutationis requiritur justa causa, quam episcopus, sive ordinarius loci antea disquirere, et cognoscere debet, c. *Quæsitum*, 5, de *Rerum permutat.* Rebuffus, cit. tit. de *Permutat.* n. 19; Nicol. Garcias, part. XI, de *Beneficiis*, cap. IV

n. 44, post Rotam, decis. 4, de *Procurat. in antiq.* n. 4; Barbosa, d. lib. III, *Jur. eccles. univ.* cap. XV, n. 172, allegans alios. Siquidem permutationes sunt odiosæ, ac restringendæ, eo quod militent contra concilium Turonense, relatum in c. *Majoribus*, 8, de *Præbend.* ac proinde in ipsis concedendis debet intervenire justa causa; prout etiam jam supra § 2, n. 34, et seqq. insinuat fuit, referendo plures causas sufficientes ad resignationem beneficiorum.

95. *Licet sufficiat sola expedientia, seu utilitas permutantium.* — Quamvis autem non defuerint asserentes, ejusmodi causam debere esse necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum, non vero personarum; uti voluit Zerola, part. I, *Praxis episcop.* §. *Renuntiatio*, §. *Quintum dubium*, id probans ex c. *Quæsitum est*, 5, de *Rerum permutat.* ac pro se citans Boerium, decis. 203, n. 7, et Flamin. Parisius, lib. II, de *Resignat. benef.* quæst. 5, n. 23, et 24, et card. Tuschus, litt. P, concl. 305, n. 5. Nihilominus verisimilius est, etiam sufficere posse solam expedientiam, seu utilitatem personarum permutantium, atque hanc censeri justam causam faciendæ permutationis; uti docet Glossa, in c. *Cum universorum*, §. *Utilitatem*, et Abbas, ibid. n. 7, de *Rerum permutat.*; Barbosa, cit. cap. XV, n. 172, et Garcias, d. cap. IV, num. 46, allegans alios. Idque satis probatur ex cit. c. *Cum universorum*, ubi legitur permutatio beneficiorum tacta eo quod « utilitate utriusque permutantium imminere crederetur. »

96. *Quod si facta permutatione, causa cesset?* — Quod si vero nulla subsit justa causa permutationis beneficiorum, episcopus nequit eam admittere, nec approbare: idcirco quippe episcopus tenetur disquirere et cognoscere justitiam causæ, ut dictum. Facta autem permutatione beneficiorum cum causa, si postmodum hæc deficiat; non ob id poterit annullari permutatio: prout in facti contingentia se respondisse asserit Navarrus, tit. de *Benefic. resignat.* num. 16, quem refert, ac sequitur Barbosa, ubi supra n. 172.

97. *Requiritur insuper nova beneficiorum permutatorum collatio.* — Dicitur tandem, « resignantibus beneficia illa conferre poterit, » etc. Quia post admissam resignationem ex causa permutationis, debet uterque eorum de novo acquirere collationem alterius beneficiorum, cum quo suum permutare voluit, arg. Clem. un. de *Rerum permutat.* ibi: « Ipsi permutare volentibus conferantur: » ac notant



Barbosa, cit. cap. xv. n. 183; Garcias, d. part. XI. cap. iv. n. 85. et seqq. et alii, post Rotam in Casalensi beneficiorum, 10 decemb. 1627, coram D. Merlino. Licet enim nonnulli velint quod admissio renuntiationis beneficiorum ex causa permutationis, contineat in se tacitam eorum collationem reciprocam: tamen tutius est, et consultius, quod fiat expressa renuntiatio, et collatio: prout post Hostiensem, c. *Ex ore. De his, quæ fiunt a majori part. capit.* notat Federicus de Senis, *Tractatum* tom. XV, tract. de *Permutat. beneficiorum*, quæst. 27, n. 44 asserens sic servare consuetudinem.

98. *Per eundem ordinarium, vel ejus superiorem facienda.* — Deinde id dicitur ex eo: quia nova collatio beneficiorum ex causa permutationis, fieri debet per eundem ordinarium, aut superiorem ipsius, qui resignationem admittere potuit, et admisit: non vero per inferiorem, utpote qui permutationem approbare non potest, sicque nec in vim ipsius conferre, arg. c. *Quæsitum. de Rerum permut.* ac notat Abbas, ibid. n. 9. post Joan. Andream et Federicus de Senis, loc. cit. quæst. 32. n. 56; Rebuffus, ubi supra, n. 20. Garcias, cit. part. II, cap. iv, n. 68, cum aliis.

99. *Etiamsi cæteroquin collatio spectet ad inferiorem.* — Nec obstat, quod cæteroquin collatio talium beneficiorum spectet ad aliquem inferiorem. Non obstat, inquam; quia adhuc totum expediet ordinarius loci, consentientibus tamen eo, cui alioquin jus conferendi competeat, et aliis interesse habentibus. Glossa in Clem. un. 7. *Conferantur de Rerum. permutat.* ac notat Imola, ibid. § *Juxta hoc.* Neque hinc ullum sequitur inconveniens, cum ordinarius, qui admisit permutationem, solus ac simpliciter non conferat, sed consentientibus simul illis, quorum interest. Federicus de Senis, cit. quæst. 32.

100. *Permutatio beneficii debet fieri cum beneficio, non cum pensione.* — Resp. II. Ut permutatio beneficiorum ab episcopo admitti, et approbari possit, generatim sequentia septem requiruntur. I. Ut fiat permutatio beneficii cum beneficio, non autem beneficii cum pensione. Ita Barbosa, lib. III. *de Jur. ecclesiast. univ.* cap. xv. n. 178. Ratio est: quia episcopus in jure solum est permissum, ut concedere atque approbare possint permutationes beneficiorum; ergo secus dicendum de permutatione beneficii cum pensione. Hæc enim materia est odiosa, simulque generaliter in

beneficiis quælibet pactio est prohibita; ac proinde facultas permutandi beneficia episcopis concessa a jure non est extendenda ultra proprietatem verborum ad permutationem beneficii cum pensione, arg. c. *Cui de non. 27. de Præbend.* in 6.

101. *Alia ejus requisita breviter referuntur.* — II. Ad permutationem beneficiorum requiritur justa causa per episcopum dijudicanda. III. Consensus patroni, et aliorum, quorum interest. IV. Nova collatio beneficiorum sic vacantium; prout paulo superius jam dictum, n. 93. et seqq. V. Ut ejusmodi permutatio, et collatio fiat pure, hoc est, sine imposita pensione, vel alio onere: alioquin per episcopum approbari nequit, juxta proxime dicenda, num. 104. et seqq. VI. Ut litteræ permutationis simul expediantur. Rota, decis. 7. *de Consuetud. in antiq.* Barbosa, loc. cit. n. 185. VII. Ut antequam possessio accipiatur, publicatio talium permutationum fiat in Ecclesiis permutatis, juxta dicenda inferius § 6. numer. 134. et seqq. quanquam consuetudine contraria quarundam diœcesium hoc ultimum non ubique observetur.

102. *Possunt clerici ante permutationem prius de ea inter se tractare.* — Resp. III. Licet clerici propria auctoritate nequeant inter se beneficia sua permutare, neque permutationem concludere, ut dictum; nihilominus possunt idem licite inter se tractare, et convenire de mutatione facienda, si erit accessura auctoritas superioris, in cujus manibus ea resignare intendunt. Ita Abbas in cit. c. *Quæsitum*, num. ult.; Rebuffus, cit. tit. *de Permutatione*, n. 52; Pirhing, tit. *de Rerum permutat.* n. 21 et alii. Ratio est: quia talis prævius tractatus est medium moraliter necessarium ad permutationem faciendam, ne alioquin hanc intendens, cæco modo suum beneficium permutare cogatur cum beneficio alterius, ignorans, an ille ad hoc habeat animum: atqui concessio sine, ut puta, permutatione beneficiorum, censentur etiam concessa media, sine quibus finis commode obtineri nequit, arg. c. *Præterea. 3. de Offic. delegat. cum similibus.*

103. *Solvitur instantia ex c. Cum universorum, de Rerum permutat.* — Nec obstat c. *Cum universorum. 8. de Rerum permutat.* juncta Glossa. 7. *Tractare*, asserente, quod non licet possessoribus præbendarum de earum permutationibus tractare. Resp. enim ibi non improbari præcise tractatum de permutando, sed tractatum completum, sive per-

mutationem propria auctoritate ab utraque parte jam conclusam: talem autem non licere, ultro fatetur conclusio. Utrum vero in tali casu licitum sit, pro beneficio minus pingues redditus habente refusionem pecuniarum petere, et pacisci, commodius dicitur alibi, videlicet tit. *de Rerum permutatione*; quanquam de hoc etiam jam egerim in *Theologia morali*, tract. II, distinct. 2, quæst. 5, num. 48 et seqq.

104. *An sit licitum resignare beneficium reservata annua pensione? Remissive.* — Posset hoc loco ulterius quæri, an sit licitum resignare beneficium ecclesiasticum reservata annua pensione? Verum hæc materia commodius tractatur, atque præsens quæstio examinatur, lib. III. tit. XIII. « Ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur: » ibi quippe de pensionibus ex professo tractari solet.

## § V.

## DE RENUNTIATIONE BENEFICII IN FAVOREM TERTII.

105. *Renuntiatio beneficii in favorem tertii, seu cum clausula Non aliter, non continet simoniam juris divini, sed potest fieri in manus Summi Pontificis.* — Quæritur I. An illicita, quin et simoniaca sit resignatio beneficii in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*? Resp. I. Certum est, quod resignatio hujusmodi non contineat simoniam juris divini, eo quod in ea non detur aliquid spirituale pro temporali: ac proinde, quod ipsa possit fieri in manus Summi Pontificis, et si ab ipso admittatur, sit valida, careatque omni labe simoniæ. Ita Glossa c. *Cum pridem. 7. Illicite de Pactis.* communiter recepta; idque confirmat stylus Curie, tales resignationes accedentibus aliis justis causis non raro admittentis. Accedit ratio: quia, licet resignatio beneficii in favorem tertii quamdam præ se ferat speciem simoniæ, sitque de jure prohibita, prout in progressu amplius dicitur; hæc tamen prohibitio, sicut et simonia, est juris dumtaxat ecclesiastici: atqui in jure ecclesiastico potest Papa de plenitudine potestatis dispensare, c. *Proposuit. 4. de Concess. præbend.* sicque sua auctoritate ejusmodi simoniam purgare, ac veluti sol tenebras dispellere; prout loquitur Lessius, lib. II. *de Just. et jur.* cap. xxxv. n. 84.

106. *Utrum ipsa facta in manus episcopi*

contineat simoniam juris ecclesiastici, variant doctores. *Sententia negativa probatur.* — Resp. II. Utrum resignatio beneficii in favorem tertii, seu cum clausula *Non aliter*, facta in manus episcopi, vel alterius Papa inferioris, contineat simoniam juris ecclesiastici, variant doctores. Et quidem sententiam negativam tenet Covarruvias, lib. I, *Var. resol.* cap. v, n. 5; Lessius, cit. cap. xxxv, n. 86; Pirhing, h. t. n. 89, citans insuper Suarez, lib. IV, *de Simonia*, cap. xxxv, n. 2, atque ex professo docet Barbosa, lib. III, *Jur. eccles. univ.* cap. xv, n. 54, ubi resolvit prædictam resignationis formam, attento juris rigore, non esse simoniacam, nec transgressores tanquam simoniacos puniendos, sacris tamen canonibus inimicam esse. Fundatur isthæc sententia in eo: quia in tali resignatione nulla proprie intervenit pactio, sed solum fit resignatio beneficii sub conditione, quam si prælatus non acceptat, nihil actum est; prout in simili renuntiatio beneficiorum ex causa permutationis solet fieri in manus episcopi, atque per eum admissa nullam involvit pactionem, neque simoniam. Accedit, quod simonia juris ecclesiastici non inducatur, nisi in casibus a jure expressis, juxta Glossam notabilem in c. *Ex parte, 12. 7. Dimitti. de Offic. delegat.* Atqui nulla constitutio canonica potest ostendi, per quam talis resignatio in favorem tertii damnatur veluti simoniaca, dummodo nulla alia pactio interveniat; ergo.

107. *Simul tamen limitatur.* — Additur tamen, « dummodo nulla alia pactio interveniat. » Nam, ubi intervenit alia pactio, qua vel episcopus antecederet promittit resignaturo, sese admissurum resignationem, atque beneficium illi tertie personæ collaturum; vel ipsemet resignatarius expresse, aut tacite sese obligat ad idem beneficium post aliquod tempus denuo resignandum ipsimet resignanti, vel conferenti, aut alteri tertie personæ; prout accidit in simonia confidentiali, damnata per Pium IV, in constitutione 83, quæ incipit, *Romanum Pontificem*: estque innovata per constitutionem 83 beati Pii V, *Intolerabilis*, quando inquam, ejusmodi pactio intervenit, tunc ultro fatentur hujus sententiæ auctores memoratam renuntiationem fore simoniacam simonia juris ecclesiastici; uti videre est apud Pirhing, cit. n. 89. Generaliter enim hujusmodi pactiones illicitæ, atque conventiones onerosæ circa beneficia, a jure ecclesiastico damnantur.